

# EPISTULA LEONINA

## CXXII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM VICESIMAM SECUNDAM (122) !**

## ARGUMENTA

1. NATALE DOMINI BUDDENBROOKIANUM.....04-24
2. VOCABULA RARIORA ET RECENTIORA.....25-37
3. ECHUS VOCES.....38-40

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam  
centesimam vicesimam secundam.*

*Festum Natalicium Annumque Ineuntem utinam laetê celebraveris !  
Doleo, quod tam sero haec vota tibi offero, sed quod est dilatum non est  
ablatum. Feriis summo cum studio incubui (et adhuc pergo incumbere)  
Thomae Mannii Buddenbrookiis togâ induendis (v. infra capitulum huius  
fabulae natalicium). Babae, Thomas ille quam subtilis est! Quam  
mirabilis descriptor hominum ! Patet difficillimum esse eius verba  
theodisca in alteram linguam convertere. At ipsâ hac difficultate incitatus  
sum, ut ad obrussam exigerem facultatem meam Latinê scribendi.  
Utinam mihi hoc feliciter contigerit. Iudices tu ipse; nam ne quis sit iudex  
in propriâ causâ.*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 122 tolle et lege et laetare  
et ...*

***pancraticê vale et perge mihi favere!***

**IN ANNUM NOVUM OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTO:  
FRUARIS VALETUDINE PROSPERRIMĀ,  
FLOREANT STUDIA TUA PRIVATA ET OFFICIALIA!**

**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS  
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Dominico, 15. m. Ian., a.2017**



## מנא, מנא, תקל, ופרסין

### MENE MENE TEKEL U-PARSIN

**CENA RÈGIS BALTHASARIS.** A.1635 PINXIT REMBRANDT VAN RIJN (1606-1669).

cfr VULGATA Danihel propheta 5,5 In eâdem horâ apparuerunt digiti quasi manûs hominûs scribentes contra candelabrum in superficie parietis aulae regiae. Et rex aspiciebat articulos manûs scribentis. (6) Tunc rēgis facies commutata est et cogitationes eius perturbabant eum et conpages renum eius solvebantur et genua eius ad se invicem conlidebantur. (7) Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent magos Chaldaeos et aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis: »Quicumque legerit scripturam hanc et interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpurâ vestietur et torquem auream habebit in collo et tertius in regno mihi erit«. (8) Tunc ingressi omnes sapientes rēgis. Non potuerunt nec scripturam legere nec interpretationem indicare rēgi. (9) Unde rex Balthasar satis conturbatus est ... (17) Ad quae respondens Danihel ait coram rēge: »Munera tua sint tibi et dona domûs tuae alteri da ! Scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem eius ostendam tibi. ... (25) Haec est autem scriptura, quae digesta est: **MANE THECEL FARES.** (26) Et haec interpretatio sermonis: **MANE:** Numeravit Deus regnum tuum et conplevit illud. **THECEL:** Adpensus es in staterâ et inventus es minus habens. **FARES:** Divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis...«



# Thomas Mann

## Natale Domini Buddenbrookianum<sup>1</sup>



\* \* \* \* \*

Quae cum ita essent, hōc anno adveniebat Natale Domini, et parvus Iohannes calendarium foliatum, quod Ida ei confecerat, cuiusque in folio ultimo delineata erat abies, corde pulsante aspectans cognoscebat appropinquare tempus illud incomparabile.

---

<sup>1</sup> In Latinum converti textum e libro excerptum, cuius editio originalis est haec quae sequitur: **Thomas Mann, Buddenbrooks. Verfall einer Familie.** Roman. S. Fischer Verlag, **Berlin 1901**. Usus sum hac editione: G.B. Fischer Verlag, Berlin/Frankfurt am Main 1957, p.465-484 (Achstes Kapitel). L.L.

Indicia increbrescebant ... Ex primo iam die adventuali in aviae cenatione ex pariete dependebat iconica imago versicolor Servi Ruperti. Aliquo mane Hanno invênit lecti sui lodicem atque tapete necnon vestimenta sua bracteolis crepulis conspersa. Deinde, paucis diebus post, post meridiem in mediano, cum atta in stibadio iacebat ephemeridem legens et Hanno modo in Gerokii *Foliis Palmaribus* legebat carmen *Saganae Endoriensis*, sicut omni anno, sed etiam nunc prorsus contra opinionem annuntiatus est »aliqui senex«, qui »quaereret parvulum«. Īdem senex rogatus ut ingrederetur pedibus tardê crepitantibus advênit longo amiculo pelliceo indutus, cuius subsumenta aspera erant extrorsum versa, et quod bracteolis plumisque nivalibus erat obsitum, praeterea senex erat tali mitra et lineamentis faciei nigratis et ingenti barbâ cânâ, quae, sicut supercilia supernaturaliter crassa, filis argenteis erat pertexta. Senex voce aeneâ explicuit – ut omni anno explicare solebat – „hunc“ saccum – umero sinistro impositum – destinatum esse bonis pueris, qui scirent orare, sed ex alterâ parte „hanc“ virgam – umero dextro impositam – destinatum esse pueris malis ... Qui senex fuit Servus Rupertus. Ut rectius dicamus, scilicet illum non fuisse totum atque perfectê verum Servum Rupertum, fortasse neminem nisi tonsorem Venceslaum attae veste pelliceâ indutum; at, quantum umquam fieri potuit, ut adveniret Servus Rupertus, is vir îdem fuit, et Hanno, cuius animus erat sincerê permotus, hîc quoque anno nonnisi semel bis singultu quodam inquieto ferê inscius interruptus pronuntiavit suum ‚Pater noster‘, quo facto ei licuit manum ingerere sacco bonis pueris dedicato, quem secum auferre senex iterum oblîtus est ...

Feriae coeperunt, et satis feliciter transactum est illud momentum temporis, quo atta lêgit testimonium scholare, quod natalicio quoque tempore necessario erat conscribendum ... Magnus oecus more mysteriali iam erat conclusus, iam martipanes et placentae fuscae ad mensam erant allatae, foris in urbe iam erat Natale Domini. Nix cadebat, solum congelascebat, in aëre claro acrique per vias sonabant solitae melodiae flebiles Italianorum organis versatilibus modulantium, qui iaccis vellutinis subiisque nigris instructi advenerant ad festum celebrandum. In fenestris mercatoriis merces splendebant ornatissimê expositae. Circa puteum gothicum plateae mercatoriae impositum exhibita erant mercatûs natalicii delectamenta vehementer

varia. Quocumque autem ambulabas, unâ cum abietum veneuntium fragrantîâ hauriebas spiritum huius sollemnitatis.

Deinde tandem vênit vesper diei vicesimi tertii mensis Decembris unâque cum eo donatio in oeco domûs apud Viam Foveae Piscatoriae sitae, quae erat donatio in circulo artissimo facienda, nihil nisi quoddam initium, incohatio, praeludium, nam Sanctam Noctem consulissa tenebat firmê correptam, idque toti familiae, ut diei vicesimi quarti tempore postmeridiano seriore omnes participes circuli mensalis diei Iovis, praeter eos etiam Georgius Kröger Vismariensis et Theresa Weichbrodt et Domina Kethelsen congregarentur in conclavi topiario.

Domina vetus gravi vestimento sericeo virgis griseis nigrisque instructo induta, genis rubore suffusis, oculis ferventibus, tenerâ fragrantîâ pogostemonis circumfusâ recepit convivas unum post alium intrantes, et inter amplexûs tacitos eius armillae submissê stridebant. Eiusdem mulieris animus hâc vespere erat mutus et tremulus et ineffabiliter excitatus. »Mi Deus, heus mater, febricitas!« senator dixit unâ cum Gerdâ et Hannone adveniens...»Nonne omnia possunt fieri tranquillê atque iucundê?« At illa omnes tres osculata susurravit: »In Iesu honorem ... et deinde in honorem cari mei Iohannis beati ...«

Profecto programma sollemnitatis consecratum, quod olim constituerat consul interim defunctus, debuit servari, et consulissa cum pro certo haberet sibi curandum esse, ut hic vesper procederet satis dignê, quem hilaritate quadam gravi et profundâ et fervidâ imbui deceret, inquieta huc illuc agitabatur – e porticu, ubi iam pueri chori Mariani congregabantur, in cenationem, ubi Fridericula Severina arbori nataliciae et tabulae donaticiae manum imponebat extremam, foras in fauces, ubi verecundi atque incerti circumstabant nonnulli homunciones extranei, domestici pauperes, quibus item donatio erat participanda, et iterum in conclave topiarium, ubi consulissa tacitê seorsim conspiciens puniebat quemlibet verbum aut sonum supervacaneum êdentem. Silentium erat tam vastum, ut audirentur soni organi versatilis remoti, qui teneri et clari sonis horologii lusorii similes ex aliquâ viâ nivatâ huc erant emissi. Nam quamquam nunc viginti ferê homines in conclavi sedebant et stabant, tamen silentium

erat maius quam in ecclesiâ, et affectus animorum commonebat, ut senator perquam cautê avunculo Iusto insusurravit, aliquatenus gravitatis funeralis.

Ceterum vix periculum imminebat, ne hic affectus animorum dirimeretur sono alicuius lasciviae iuvenilis. Uno tantum aspectu animadvertisses omnia ferê membra familiae illo loco congregata esse aetate, quâ vitae modi agendi et loquendi iam pridem esse solent graviores atque decentiores. Senator Thomas Buddenbrook, cuius pallore vigor, vigilantia, immo hilaritas vultuum patefactae sunt fallaces; Gerda, eius uxor, quae immota in sessibulo sedebat reclinata, albâ facie pulchrâ sursum versâ, oculos suos inter se propinquos colore caeruleo obumbratos mirê coruscantes tenebat defixos vitreis prismatibus lychnuchi pensilis micantibus; senatoris soror, Domina Permaneder; Georgius Kröger, eius consobrinus, quietus vir officialis modestê vestitus; eius consobrinae Friderica et Henricula et Fionula, quarum duae priores etiam macriores atque longiores, postrema etiam minor atque obesior erat quam prius, quibus tamen communis erat vultus typicus, subrisio quaedam acris et malevola, quae quadam cum generali dubitatione malignâ adversabatur omnibus hominibus rebusque, quasi dicere non desinerent: »Verumne? Hoc quidem adhuc licet primum addubitemus« ...; denique Clothilda pauper, cânis capillis praedita, cuius animus certê iam dudum erat in patinis: - hi omnes transgressi erant aetatem quadragenariam, cum Domina domestica eiusque frater Iustus eiusdemque uxor haud aliter ac Theresa Weichbrodt iam sat longê remotae essent ab anno aetatis sexagesimo, vetus consulissa Buddenbrook, e gente Stüwing nata, necnon Domina Kethelsen prorsus surda, quae aetate iam erant septuagenariâ.

Iuventute autem nemo florebat nisi Erica Weinschenk; at quandocumque eius oculi lucidê caerulei – oculi scilicet Domini Grünlichii – vertebantur ad maritum, directorem, cuius caput detonsum, temporibus canescentibus et subio angusto, in angulos oris crescente praeditum ibi iuxta stibadium a plagâ tapetis parietalis idyllicâ prominebat, animadvertebantur mammae mulieris tumentes tolli spiritu tacitê, sed graviter ducto...Quae iuvenca nescimus an sollicitata sit anxîe atque confusê cogitans de consuetudinibus commercialibus, rationibus conficiendis, testibus, actoribus publicis,

defensore, iudice, immo, verisimile est neminem in conclavi versatum esse, quin deditus esset istis cogitationibus parum nataliciis. Quod gener Dominae Permaneder fuit reus, quod tota familia scivit praesens esse membrum sui ipsius, qui esset accusatus sceleris contra lēges, ordinem civilem, honorem mercatorium commissi et fortasse infamiae atque custodiae poenali deditus, homines congregati affecti sunt sensu prorsus alieno atque immani. En vesperum familiae Buddenbrookianae natalicium, cuius in medio fuit vir accusatus! Domina Permaneder in sessibulum suum severâ cum maiestate se reclinavit, subrisio Dominarum Buddenbrookianarum, quae apud Latam Viam habitabant, etiam aliquantulo facta est acrior ...

Quidnam de liberis? Quid de prole aliquatenus modicâ? Num ea quoque sensit huius circumstantiae omnino novae atque incognitae horrorem submissum? Quod attinet ad parvam Elisabetham, fieri non potuit, ut de statu animi huius puellae iudicaretur. Infantula, quae erat induta veste parvâ, cuius ornamenta erant opulentissima, cui inerant ansae panni rasi, quibus apparebat Dominae Permaneder elegantia, sedebat bracchio puellae cunariae imposita, pollices suos tenebat pugnibus pusillis impressos, linguam suam assugebat, oculis aliquatenus torpidis emissiciis prospectabat et interdum crepitum edebat brevem, quo facto puella illam sinebat aliquantulum oscillare. Hanno autem quietê in scabullo suo sedebat ad pedes matris ita ut eadem suspiciebat ad prisma lychnuchi pensilis ...

Christianum deesse! Ubinam fuit Christianus? Nunc demum ultimo momento temporis animadversum est illum nondum adesse. Consulissae autem motûs, miri illi gestûs, quibus solebat ex angulo oris stringere sursum ad capillorum oppexum, etiam rapidiores factae sunt, quasi capillum, quod deciderat, ad locum suum referret... Domina properê oeconomam Severinam certiozem fecit, ut eadem virgo pueros chori praetergressa per porticum, inter pauperes domesticos, per fauces iit ad Domini Buddenbrook ianuam eamque pulsavit.

Brevi post apparuit Christianus. Qui pedibus suis macris et incurvis, qui, postquam vir incidit in artuum rheumatismum, aliquatenus



claudicabant, gradu quieto et placido ingressus est in conclave topiarium manu frontem calvam perfricans.

»Babae, infantuli«, inquit, »hoc paene oblîtus eram!«

»Tu paene ...« mater eius repetivit attonita ...

»Ita est, paene oblîtus eram hodie esse Natale Domini ... Sederam legens ... librum, itinerarium Americae Australis ... Bone Deus, iam expertus sum aliud Natale Domini ...« addidit narraturus de quadam Nocte Sanctâ, quam Londinii degerat in quodam theatro varietatum vulgarissimo, cum subito silentium in conclavi dominans ecclesiasticum coepit ad eum quoque valere, ut naso crispato summisque digitis pedum iret ad sedem suam.

»Exulta, iubila, filia Sion!« pueri chorales cantaverunt, iidemque, qui modo foris tam audibiliter lascivierant, ut necesse esset senatorem ad ianuam sistere, ut illis reverentiam moveret, - iidem nunc cantaverunt perquam mirabiliter. Haec voces canorae, quae, organis corporis inferioribus perlatae, purae, iubilantes, laudantes sursum ferebantur, omnium corda secum sursum trahebant, virginum vetularum subrisionem mitigabant et efficiebant, ut senes animum suum inspicientes vitam suam transactam cogitando retractarent, cum ii, qui mediae vitae inerant, paulisper curas suas obliviscerentur.

Hanno autem genu suum remisit, quod usque nunc tenuerat manibus circumplexus. Īdem fuit facie prorsus pallidâ, fimbriis scabilli sui ludebat, linguam affricabat denti, ore semiaperto et vultu frigentis. Interdum puer cupiebat profundê respirare, nam nunc, cum aer imbuebatur cantu, hîc cantu vocis assae purissimo, cor eius contrahebatur felicitate paene dolorosâ. Natale Domini... Per fissuras valvarum, quae altae laccaque alba obductae adhuc erant firmê conclusae, fragrantia abietina dulcedine suâ aromaticâ in animum pueri invadens excitavit imaginem miraculorum ibi intra oecum sitorum, quae quotannis corde pulsante denuo sitienter desiderabat splendida et incomprehensilia et divinissima ... Quaenam res sibi intra positae essent? Eas, quas sibi exoptasset, scilicet, hoc procul dubio acciperet, nisi iam antea ab his revocatus esset, quia nullo modo accipi

posset. Theatrum sibi statim in oculos casurum esse, ut viam inveniret ad sedem suam, theatrum puparum illud desideratissimum, cuius nomen scidulae optatorum primo loco inscripserat fortiterque induxerat, praeter quod melodramate *Fidelio* Mozartiano spectato ferê nihil cogitaverat.

Sic fuerat, ut sibi daretur merces atque remuneratio, quod visitavisset Dominum Brecht, nuperrimê Hanno primum viserat theatrum, theatrum urbanum, ubi ei licuerat in primo ordine iuxta matrem sedere exanimatus sonis actionibusque melodramatis *Fidelio* deditum esse. Ex illo tempore Hanno de nullâ re somniabat nisi de scaenis melodramaticis, et animus eius amore theatri vehementius inflammatus erat, quam ut satis dormiret. Invidiâ ineffabili affectus in viâ aspectabat homines, qui, velut Christianus patruus suus, quos theatrum frequentare notum erat, consul Döhlmann, pararius Gosch ... Cui liceret ibidem omni ferê die versari, talem hominem quonam modo ferre posse tantam felicitatem? Utinam ipse semel tantum in septimanâ inspicere posset oecum theatri, audire instrumentorum acchordationem et paululum aspectare aulaeum conclusum! Nam Hanno omnia amabat, quae erant in theatro: odorem gasicum, sedes, musicos, aulaeum ...

Theatrum suum puparum num esset magnum? Magnum latumque? Quale esset aulaeum? Quam maturrimê insecandum fore parvum foramen, nam urbani quoque theatri aulaeo inesse specularium... Num avia aut oeconomia Severina – nam aviam non posse omnia comparare – decoramenta invenisset ad melodrama *Fidelio* agendum? Se cras iam aliquo conclavi conclusum prorsus solitarium fabulam daturum esse ... Statim autem Hanno mente confinxit personas melodramatis cantantes; nam cum theatro mente suâ statim artissimê coniunxerat modos musicos ...

»Clarê iubila, Hierosolyma!« pueri chorales cantaverunt finientes, et voces, quae fugatim una ab aliâ secesserant, in ultimâ syllabâ laetê atque pacificê inter se concordaverunt. Concentu claro conticescente in porticu et conclavi topiario factum est vastum silentium. Familiae homines pausâ coacti oculos deiecerunt; Directoris Weinschenk tantum oculi alacriter et intimidê circumvagabantur, et Domina

Permaneder arente fauce edidit screatum suum, quem suppressere non potuit. Consulissa autem lentê ad mensam processit et medios inter necessarios in stibadio consedit, quod nunc non iam ita ut olim stabat a mensâ secretum. Mulier lampade rectê collocatâ magnam attraxit bibliam, cuius sectura aurea detrita ingenti erat latitudine. Deinde consulissa perspicillum naso imposuit, ambas fibulas coriaceas resolvit, quibus hic liber praegrandis erat conclusus, paginam aperuit, quâ erat signum positum, ut appareret charta crassa, aspera, flavescens typis percrassis inscripta, haustu aquae saccharinae sumpto coepit recitare capitulum Natalis Domini.

Mulier verba inveterata lentê recitavit accentu simplici, qui in animos audientium influebat et voce clarâ, mobili, hilari, quae resonabat silentio religioso contraria. »...hominibus bonae voluntatis!« illa dixit. Mulier vix conticuerat, cum in porticu tribus vocibus cantari coeptum est »Sancta nox, placida nox«, cui in conclavi topiario familia succinuit, idque aliquatenus cautê, nam plerique praesentium erant tam immusici, ut hîc et illîc in grege cantantium audiretur tonus gravis et omnino inconveniens ... At hac re nequaquam deminuta est vis huius cantici ... Domina Permaneder cantabat labiis tremulis, nam tali cantico dulcissimê et dolorosissimê eius animus commovetur, qui brevi pace horae sollemnis fruens mente revolvit transactam vitam tempestuosam... Domina Kethelsen quietê atque amariter lacrimabat, quamquam auribus percipiebat ferê nihil.

Tum autem consulissa surrexit. Quae manu Iohannis nepotis atque Elisabethae proneptis apprehensâ per conclave gressa est. Seniores se adiunxerunt, iuniores secuti sunt, in porticu se aggregaverunt ministri et pauperes domestici, et cum omnes concorditer illud »O abies« canere coeperunt et Christianus avunculus in fronte parvulis eo risum movebat, quod iter faciens crura tollebat more neurospasti et illepidê cantabat »O rabies«, homines oculis obcaecatis vultibusque subridentibus per valvas latê apertas intraverunt medium in caelum.

Totus oecus fragrantîâ ramorum abietis adustorum completus flammulis innumeris lucebat atque coruscabat, et colore lucidê caeruleo tapetis parietalis staturis deorum albis instructi magnus oecus apparuit etiam lucidior. Flammulae candelarum, quibus ibi in remoto

inter fenestras pannis obscurê rubris obvelatas ingens arbor abietis est obsita, quae filis argenteis magnisque liliis candidis ornata, in apice angelo nitido, infra plastico apparatu praeseptali instructa, prominebat ferê usque ad lacunar, in fluctu luminoso micabant tamquam stellae remotae. Nam in mensâ albo linteo instratâ, quae longa lataque donis onerata a fenestris paene usque ad ianuam porrigebatur, adiuncta est series arborum minorum dulciolis obsitarum, quae item radiabant cereolis ardentibus. Et ardebant bracchia gasica, quae e parietibus eminebant, et in quattuor angulis omnibus ardebant candelae crassae candelabris auratis impositae. Magnae res, dona, quibus in mensâ non fuit satis loci, una iuxta aliam stabant in pavimento. Mensae minores, item albo linteo instratae, donis obtectae arbusculis ardentibus ornatae stabant ad utriusque ianae latus: Haec dona oblata erant ministris domesticisque pauperibus.

Homines cantantes obcaecati semel circumgressi sunt oecum sibi familiarem, a quo prorsus abalienati erant, praesepe praetergressi, cui impositus erat cereus Iesus infantulus, qui videbatur signum crucis facere, singulis rebus conspectis obmutescens ad sedes suas constiterunt.

Hanno erat penitus perturbatus. Brevi postquam intravit, theatrum conspexerat oculis sitientibus... theatrum, quod, quale ibi super mensâ splendebat, tantâ magnitudine tantâque latitudine, quantam esse numquam mente confingere ausus erat. At cum sedes sua mutata nunc esset in loco illi anni proximi praeteriti opposito, Hanno obstupefactus graviter dubitavit, num hoc theatrum fabulosum reverâ destinatum esset sibi ipsi. Accessit, quod infra scaenam, in pavimento, statutum erat aliquid magnum et alienum, aliquid, cuius nomen non inscriptum erat scidulae optatorum, aliqua supellex, res armario commodo haud absimilis ... num haec destinata erat sibi ipsi?

»Veni huc, puer, et hoc aspice«, consulissa dixit operculum aperiens.  
 »Scio te libenter modulari cantica choralia ... Dominus Pfühl tibi dabit praecepta necessaria ... Semper calcandum est ... modo levius et levi vehementius ... et deinde noli manûs tollere, sed semper tantummodo muta paulatim digitos...«

Haec res fuit harmonium, parvum, bellulum harmonium, laccâ fuscâ obductum, utroque in latere manubriis metallicis instructum, versicoloribus follibus pedaliciis necnon nitido sessibulo versatili. Hanno accordum modulatus est ... sono organi leni soluto circumstantes suspexerunt donis neglectis ... Hanno aviam amplexus est, quae eum tenerê sibi appressum reliquit, ut acciperet gratias ab aliis agendas.

Tum puer se convertit ad theatrum. Harmonio quidem Hanno obstupefactus est tamquam somnii specie mirificentissimâ, sed nondum vacavit eidem instrumento accuratius tractando. Puer affectus erat felicitatis superabundantiâ, qua singulis rebus ingratus, omnes non tangebatur nisi obiter, ut primo disceret oculis terminare donorum universitatem... Oh, en cellam monitoris, cellam monitoris ad formam conchae redactam, post quam quadam cum maiestate sursumolvebatur latum aulaeum colore rubro atque aureo ornatum. In scaenâ statuta erant decoramenta ultimi actûs ipsius melodramatis *Fidelio*. Captivi miseri manûs complicaverant. Dominus Pizarro, manicis sinuosissimis instructus aliquo loco morabatur habitu corporis horrendo. A tergo autem gradu citissimo appropinquabat minister publicus nigrâ veste ex toto vellutinâ, ut omnia converteret ad optimum. Hoc fuit simile theatro urbano aut ferê etiam pulchrius. Hannoni audienti cum videretur resonare chorus iubilantium, pars finalis, puer consedit ante harmonium, ut particulam huius chori, quam memoriter tenebat, modularetur ... At resurrexit, ut librum apprehenderet, librum mythologiae graecae exoptatissimum, cuius involucrum erat ex integro rubrum et aureâ Pallade Athenâ ornatum. Puer aliquid e catino comêdit, cui infuerunt dulciola, martipanis, placenta fusca et perquisivit res minores, utensilia scribendi et fasciculos scholares, et per momentum temporis oblîtus est cetera omnia admiratione cuiusdam calami scriptorii correptus, cui alicubi infuit pusillum granulum vitreum, quod, quandocumque oculo praetenderat, tamquam lusu magico aspectabat longinquam plagam caeli Helveticam...

Nunc oeconomia Severina et pedisequa cum theâ crustulisque spongiis circumierunt, et Hanno crustula in theâ intingens paululum habuit tempus e sede suâ suspiciendi. Homines ad mensam stabant aut huc

illuc ibant, garriebant, ridebant inter se dona monstrantes alteriusque admirantes. Ibi fuerunt res ex omnibus materiis confectae: e porcellano, nicolo, argento, auro, ligno, serico, panno. Longâ serie in mensâ vicissim positae erant et magnae placentae fuscae amygdalis albedineque citreâ symmetricê obsitae et permagnae martipanes, qui tam recentes erant, ut maderent. Ea dona, quae fabricata aut decorata erant a Dominâ Permaneder, sacculus reticularis, substramen plantarum foliatarum, pulvinus pedalis, ornati erant magnis ansis panni rasi.

Interdum homines parvum Iohannem visitabant, bracchium collari eius nautico circumponebant donaque, quae puer acceperat, aspectabant admiratione ironicê exaggeratâ, quâ possessa parvulorum solent laudari. Christianus tantum cum nihil sciret de tali adultorum superbiâ, anulum gemmatum gerens digito impositum, qui sibi donatus erat a matre, sedem Hannonis praetergrediens de theatro puparum nequaquam minus gavisus est quam nepos eius.

»Babae, hoc est lepidum!« dixit aulaeum tollens et detrahens unoque gradu regrediens, ut imaginem scaenicam contemplaretur. »Hocine tibi exoptaveras? – Ita est, ergo hoc tibi exoptaveras« dixit subito, postquam oculos circumvertit animo mirê gravato et cogitationum inquietarum pleno. »Quare? Quomodo hoc tibi vênit in mentem? Iamne in theatro fuisti?... Melodrama, cui titulus est *Fidelio* aspectasti? Profecto, hoc bene agitur ... Nunc autem tu hoc vis imitari, nonne? Vin' imitari, vin' ipse melodramata agere? ... Illudne tantum tibi movit admirationis? ... Audi, puer, sinas me tibi suadere, ne nimis multum cogites de talibus rebus ... de theatro .. et de talibus rebus... Hoc non aptum est, crede patruo tuo. Ego quoque his rebus nimis multum delectatus cum essem, non multos honores assecutus sum. Oportet scias me commisisse graves errores ...«

Christianus haec nepoti suo graviter atque vehementer pandebat, cum Hanno suspexit ad eum curiosê. At deinde pausâ interpositâ, in quâ facies patris ossuosa atque macilenta exhilarata est, subito effecit, ut aliqua figura in scaenâ promoveretur et crocitatione fuscâ et tremulâ cantaret: »Ha, quam atrox scelus!«, tum sessibulum harmonii ante theatrum movit, consedit, coepit melodramata agere eo quod cantans



atque gesticulans coepit vicissim motiones perficere praefecti musici personarumque agentium. Post dorsum eiusdem viri congregabantur plura membra familiae, ridebant, capita quatuebant, delectabantur. Hanno eum aspectavit sincerê delectatus. Aliquanto autem post Christianus sermonem suum abruptit. Obmutuit vultu gravi atque inquieto, manu caput perstrinxit, latus sinistrum deorsum, deinde naso crispato et vultu anxio ad spectatores se convertit.

»En videte:«, inquit; »nunc denuo res est finita, nunc denuo poenam do. Quodcumque ausus sum iocari, statim punior. Non doleo, ut sciatis, sed torqueor... ratione indefinitâ torqueor, quia hîc loco omnes nervi sunt nimis breves. Profecto iidem sunt omnes nimis breves ...«

At cognati cum has querelas haud graviore ducerent quam Christiani iocos, vix responderunt. Qui aequis animis discesserunt, Christianus aliquamdiu mutus sedit ante theatrum îdemque aspectans oculis celeriter atque graviter micantibus deinde surrexit.

»Heus puer«, inquit Hannonis capillos perstringens. »At ne quid nimis ... noli oblivisci hac re labores tuos graviore exanclandos, audin'? Equidem commisi multos errores ... Nunc autem abibo in coetûs conventiculum ... Aliquantulum coetui interero!« adultis advocavit. »Ibi enim quoque hodie celebrant Natale Domini. Valetê.« Tum Christianus cruribus rigidis et incurvis per porticum foras abiit.

Omnes hodie prius quam aliis diebus prandium sumpserant ideoque opiparê perfructi erant theâ crustulisque. At his cibis vix sumptis in gyrum offerebantur magnae patinae crystallinae, quibus inerat flava puls granulosa gustanda. Quae puls erat cramum amygdalinum, quod ex ôvis, amygdalis contritis aquâque rosarum commixtum mirabiliter sapiebat, at si quis huius crami ligulâ tantum aptam mensuram superaverat, îdem patiebatur dolores stomachi horribiles. Tamen et quamvis consulissa rogavisset, ut homines ad cenam sumendam in stomacho suo »parvum saltem locum vacuum relinquerent«, nemo nimis modicê comêdit. Quod attinet ad Clothildam, illa exanclavit labores verê admirabiles. Quae animo quieto et grato cramum amygdalinum cochleari sibi ingurgitavit, quasi esset ptisana fagopyri. Ad corpus recreandum etiam praebitum est gelamen vinosum hyalis

inditum, comesa est placenta prunorum Anglica. Paulatim convivae in conclave topiarium transierunt cumque catinis circa mensam se collocaverunt.

Hanno autem solus in oeco relictus est, nam Elisabetha Weinschenk parvula domum abducta erat, cum puero hōc anno primum liceret ad cenam sumendam permanere in Viâ Mengianâ, famulae pauperesque domestici cum donis suis recesserant, et Idam Jungmann cum Fridericulâ Severinâ garriebat, quamvis ea, ut erat paedagoga, tenêre soleret severam socialem distantiam, qua a virgine illa erat remota. Lumina magnae arboris ardendo deminuta erant exstincta, ut praesepe nunc esset in tenebris; at nonnullae candelae arbusculis mensalibus impositae adhuc ardebant, et hīc et illīc aliqui ramus flammulae propinquus sono stridulo adustus est, ut augetur fragrantia in oeco dominans. Omni aurâ, qua arbores tangebantur, fila aurea, quae iisdem erant affixa, leniter exhorrescebant tenello sono metallico. Nunc silentium iterum erat tantum, ut audirentur modi musici organi versatilis submissi, qui vesperum frigidum adveniebant e viâ remotâ.

Hanno animo dedito fruebatur fragrantia sonisque nataliciis. Qui caput manu nixus legebat librum suum mythologiae, quadamtenus obiter et consuetudine tantum comedebat dulciola, martipanem, cramum amygdalinum, placentam prunorum, ut anxietate, quae stomacho immodicê completo efficitur, dulci excitationi huius vesperi admixta oreretur beatitudo flebilis. Hanno lêgit de pugnīs, quae Iovi erant superandae, ut imperium assequeretur, et interdum per momentum temporis aures arrigebat in conclave medianum, ubi fusê sermone tractabatur tempus amitae Clothildae futurum.

Clothilda autem cum omnium hōc vespere congregatorum esset longê felicissima, verba iocosa et gratulatoria, quae sibi undique dicebantur, accipiebat tam vehementer subridens, ut facies cinerea disserenasceret; vox eius mulieris gaudio commotae loquendo frangebatur. – Nam eadem recepta erat in ‘Monasterium Iohannis’. Senator enim furtim in consilio administrationis effecerat, ut illa reciperetur, quamquam quidam domini clam murmuraverant de nepotismo. Colloquium fiebat de hac institutione bene meritâ, quae spectabat ad monasteria dominarum nobilia Megalopolitanum,

Dobberthiense, Ribnitiense et eo fine condita erat, ut senectutem dignê degerent puellae inopes e gente meritâ et indigenâ natae. Itaque Clothilda pauper ita adiuta erat, ut acciperet redditum parvum, sed certum, qui annis delabentibus augetur et ut in senectute supremam classem assecuta acciperet ipsum habitaculum pacificum et purum ipso in monasterio situm...

Parvus Iohannes paulisper apud adultos moratus mox in oecum revertit, qui nunc, minus lumine irradiatus magnificentiâ suâ non iam tantum stuporem tantamque reverentiam efficiebat quantam in initio, sed novo modo animum pueri excitavit. Perquam mirê delectabat oecum tamquam scaenam semiobscuram pervagari et aliquantulum post siparia spectare: lilia magnae abietis e propinquo aspectare aureis antheris instructa, figuras bestiarum hominumque apparatus praeseptialis manu capere, eam candelam requirere, quâ stella luxerat pellucida super stabulum Bethlehemicum, mantele longê dependens tollere, ut appareret copia chartonum chartarumque emporeticarum, quae sub mensâ erant depositae.

Colloquia autem in conclavi topiario facienda etiam etiamque minus iucunda fiebant. Necessitate inevitabili paulatim colloquio tractanda fuerat res illa immanis, de quâ usque nunc in honorem vesperi sollemnis homines tacuerant, quae tamen nullo ferê momento temporis desierat tenêre omnium animos occupatos: directoris Weinschenk enim causa iudicialis. Hugo Weinschenk ipse de hac re sermonem habuit quadam cum vultuum motuumque alacritae ferâ. Qui rettulit de singulis rebus inter testium interrogationem factis, quae nunc interrupta erat festo natalicio, vividê vituperavit opinionem praesidis Doctoris Philandri praeiudicatam nimis facile cognoscibilem, necnon securê subsannans reprobavit vocis tenorem irrisorium, quo actor publicus Doctor Hagenström contra se testesque, quibus ipse purgaretur, loqui sibi convenire putaret. Ceterum Breslauerum defensorem varia dicta testium perfacetê infirmasse et certissimê affirmasse damnationem sui ad tempus ne cogitari quidem posse. - Senator hîc et illîc urbanitatis causâ quaestionem interponebat, et Domina Permaneder, quae in stibadio sedebat umeris sublatis, interdum murmurabat horribilia verba in Mauricium Hagenström exsecrabilia. Ceteri autem tacuerunt. Qui tam vastê

tacuerunt, ut director quoque paulatim obmutesceret; e contrario ibi in oeco parvo Hannoni tempus transigi videbatur tam celeriter quam in regno caelesti, in conclavi topiario residebat silentium grave, anxium, timidum, quod adhuc praedominabatur, cum horâ octavâ et dimidiâ Christianus e coetûs conventiculo, ubi Natale Domini erat celebratum a viris caelibibus atque veneripetis, domum revertit.

Labris Christiani interpositus erat trunculus sigarelli, mâlae macilentae erubuerant. Per oecum gressus conclave topiarium intrans: »Heus parvuli, oecus quam mirê bellus est! Heus Weinschenk, quidni nobiscum adduximus Breslauerum; talem rem nescio an umquam viderit.«

Hôc dicto Christianus punitus est a consulissâ oculos tacitê seorsim coniciente. Cui îdem respondit vultu facili atque sincero, sciscitans quidnam illa vellet. – Horâ nonâ cenatum ierunt.

Ut quotannis fiebat, hôc vespere mensa instrata erat in porticu. Consulissa animo tenerê commoto precationem mensalem dixit vetere more traditam:

»Veni, Iesu Domine, ut tecum manducemus  
et benedic a te data quae habemus.«

cui precationi adiunxit, ut hôc vespere etiam solebat, allocutiunculam monitoriam, qua praecipuê audientes hortata est, ut meminissent illorum omnium, qui hôc vespere sancto non tam bene se haberent quam familia Buddenbrookiana... His autem rebus confectis Buddenbrookii bonâ conscientîâ consederunt ad cenam opiparam sumendam, quam mox incohantes comederunt cyprinum butyro liquefacto insitum biberuntque vetustum vinum Rhenanum.

Christianus autem marsuppio suo imposuit nonnullas squamas cyprini, ne umquam per totum annum ibidem deesset pecunia; Christianus autem tristis adnotavit istam rem nequaquam profuturum esse, et Consul Kröger a talibus cautelis abstinuit affirmans sibi nullas iam cursûs monetalis vacillationes esse timendas unoque et dimidio scellinis accipiendis se iam pridem esse in portu securo. Qui senex

sedebat ab uxore suâ quam remotissimus, quacum e tempore longissimo vix ullo verbo loquebatur, quia illa non desinebat clam curare, ut pecuniam afflueret Iacobo filio exheredato, qui Londinii, Parisiis aut in Americâ - illa tantum mulier hoc accuratê scivit – adventurosam vitam suam eradicatam degebat. Eidem seni frons severitudine caperravit inter alterum cenae ferculum animadvertenti mentionem incidere de familiae membris absentibus et videns matrem infirmam oculos siccantem. Commemoraverunt cognatos et agnatos Francofurtenses et Hammaburgenses, sine ullâ malevolentîâ meminerant Pastoris Tiburtii Rigaënsis, necnon Senator summâ cum tranquillitate cum Antoniâ sorore propinavit in valetudinem Dominorum Grünlich et Permaneder, qui quodam sensu etiam circulo familiae essent iniuncti ...

Gallopavo autem pulte castanearum, uvarum passarum mâlorumque confertus ab omnibus laudatus est. Quo cum illis annorum priorum comparato conclusum est eum gallopavonem ex longo iam spatio temporis esse omnium maximum. Oblata sunt poma terrestria assata, duo genera holerum pomorumque coctorum, et patinae, quae in gyrum dabantur, continuerunt tantas portiones, ut crederes unamquamque earum non esse mantisam vel additamentum, sed cibum praecipuum, quo omnes essent saturandi. Bibebatur vetus vinum rubrum negotiationis Möllendorpfianae.

Parvus Iohannes inter parentes sedens stomachoque aegrê infarsit album frustum carnis pectoralis farsurâ adiectâ. Qui puer non iam tantum comedere potuit, quantum amita Thilda, sed fatigatus erat parumque bene se habuit; tamen gaudio superbo completus erat, quod sibi licuit cum adultis cenare, quod suae quoque mappae artificiosê complicatae impositus erat unus ex illis delicatissimis, papavere instratis paniculis lacteis, quod sibi quoque praepositi erant tres hyali vinarii, cum alio tempore bibere soleret ex urceolo aureo, quem sibi patrinus Kröger donaverat... At deinde, avunculo Iusto vinum graecum oleagino colore flavo praeditum hyalis minimis infundente cum apparerent savilla gelata – rubra, alba, fusca – Hannonis quoque appetitus ciborum est refocillatus. Qui puer comêdit, quamvis dentes frigore sibi dolerent ferê intolerabiliter, savillum rubrum, deinde albi partem dimidiam, denique non potuit, quin gustaret unum e fuscis

glacie socolateâ completum, addens lucuntes crepases, vinum dulce subbibebat patruumque Christianum audiebat, qui loqui coeperat volubilius.

Qui patruus narravit de festo natalicio in coetûs conventiculo celebrato. Quod fuisse perquam delectabile. »O care Deus!« Christianus illo vocis tenore dixit, quo de Iohannulo Thunderstorm narrare solebat, »Isti furciferi pentapomate Suetiano tamquam aquâ se ingurgitavere!«

»Phy!«, consulissa breviter adnotavit oculis demissis.

At Christianus hoc non respexit. Eius oculi migrare coeperunt, eius cogitationes et recordationes tam vividê in eius animo immovebantur, ut tamquam umbrae per faciem eius macilentam transcurrerent.

»Vestrumne«, quaesivit, »aliquis scit, quânam valetudine sit is, qui nimium potaverit pentapomatis Suetiani? Non loquor de ipsâ ebrietate, sed de istâ crapulae gravedine, quae venit postridie, de effectibus posterioribus... qui sunt miri et taeterrimi... tales sunt, simul miri et taeterrimi.«

»Hoc scilicet sit satis causae, cur tu eosdem describas accuratê«, senator dixit.

Consulissa: »Ἄλις, Christiane« inquit »hoc nobis omnino non libet audire«.

At Christianus haec verba sivit praeterfluere. Id enim erat eidem viro proprium, quod talibus momentis temporis nulla intercessio usque ad eius aures pervadebat. Qui paulisper tacebat, deinde subito videbatur id quo erat commotus, tam maturum esse, ut aliis enuntiaret.

»Circumambulas nauseabundus«, dixit naso crispato ad fratrem conversus. »Caput dolet et viscera tua sunt parum ordinata ... scilicet hunc statum inveniri etiam in aliis rebus. At nunc tibi videris esse sordidus - « tum Christianus vultu prorsus distorto manûs suas perfricavit - »sordidum esse tibi videtur totum corpus tuum. Lavas



manûs tuas, sed hoc nil prodest, quia eas esse sentis umidas atque impuras, et ungues tui tibi aliquatenus videntur esse adipati ... Te balneas, at hoc quoque nil efficit, totum corpus tuum tibi videtur glutinosum atque lutulentum. Totum corpus tuum tibi est molestum, irritabile, taedet te tui ipsius ... Novistine hoc, Thoma, novistine hoc?«

»Nôvi, nôvi!« senator dixit manu reprobans. At Christianus, cum processu aetatis esset mirâ indecentiâ, quae maior erat, quam ut îdem vir animadverteret suam dissertationem omnibus esse odiosam et his in circumiectis atque hîc vespere esse indecoram, tam diu perrexit describere malam valetudinem, quae efficeretur consumptu pentapomatis Suetiani immoderato, usque dum illam valetudinem a se sat fusê descriptam esse crederet.

Antequam cenantes transierunt ad butyrum caseumque comedendum, consulissa iterum suos breviter allocuta est. Nisi omnia anno elabente talia evasissent, qualia imprudenter atque insipienter exoptassent, tamen sat superque restare beneficia evidentia, quorum conscii essent gratissimi. Ipsâ ex rerum secundarum adversarumque vicissitudine manifestari Deum manum suam numquam a familiâ detraxisse, sed familiae fatis secundum fines profundos sapientesque moderatum esse et moderari, quos impatienter et audacter ut investigarent, hominibus non esse permissum. Nunc autem oportere, ut cordibus spei plenis in salutem familiae propinaretur, in eiusdem res futuras, illas in res futuras, quae forent illo tempore, quo senes senioresque praesentium iam pridem requiescerent humo frigidâ sepulti... in parvulos, quibus festum hodiernum sensu vero et proprio esset dedicatum ...

Cum autem filiola Directoris Weinschenk non iam adesset, parvus Iohannes adultis inter se propinantibus solus debuit mensam circumire, ut omnibus, ab aviâ usque ad oeconomam Severinam propinaret. Cum patrem advenisset, senator hyalum suum pueri hyalo admovens mentum Hannonis leniter sustulit, ut filii oculos inspiceret... At eos non invênit; nam Hannonis cilia longa, aureo-fusca deorsum demissa erant usque ad infimos locos oculorum colore aquosê caerulescenti obumbratos.

Theresa autem Weichbrodt pueri caput apprehendit ambabus manibus, crepitu submisso utramque genam osculata verba tantâ cum clementiâ efferens, ut Deus sibi non resisteret: »Utinam felix sis, bone puer!«

Horâ post Hanno in lecto iacuit, qui nunc stabat in procoetone, qui intrabatur ex faucibus tabulati secundi, et cui a sinistris conclave senatoris vestiarius erat propinquum. Puer supinus iacebat respectu stomachi sui, qui cum omnibus illis cibis, quos vespere procedente percipere coactus erat, omnino non erat reconciliatus, oculisque excitatis ad Idam bonam prospexit, quae nocturnâ iam veste induta, e conclavi suo veniens hyalum aquae tenens in aëre circumagitando descripsit motûs circulares. Deinde Hanno natrium bicarbonicum celeriter ebibit, vultu distorto relapsus est.

»Nonne nunc eo potius evomam, Ida?«

»Nequaquam, Iohannule. Nil fac nisi tranquillê iaceas supinus... Nuncine intellegis? Quis tibi rem nutu compluries indicavit? Quis non est obsecutus? Nonne is fuit puerulus ...?«

»Bene, bene, nescio an bene sit evasurum... Quando res afferentur nataliciae, Ida?«

»Cras bene mâne, puerule.«

»Utinam hôc loco statuatur! Utinam eas statim habeam!«

»Ne cures, Iohannule, sed primo oportet edormiscas.« Ida autem puerum osculata lumine extincto abiit.

Hanno autem fuit solus îdemque effectum natrii salutifero deditus oculis clausis denuo mente finxit splendidissimum illum oecum donis plenum. Puer vidit theatrum suum, harmonium suum, librum suum mythologiae audivitque aliquo loco remoto pueros chorales ‚Clarê gaude, Hierosolyma’ cantantes. Omnia micare ei videbantur. Caput autem Hannonis feбри levioře fremebat et cor eius, quod stomacho revoluto aliquatenus territum coartabatur, palpitabat lentê, fortiter, irregulariter. Statu iniucundo, excitato, anxio, fatigato, felici diu iacens non dormivit.

Postridie venturus erat tertius vesper natalicius, quo donatio fiebat Theresae Weichbrodt, quam Hanno gaudenter exspectabat ut comoediolam. Theresa Weichbrodt, cum anno proximo praeterito a paeduterio dirigendo prorsus destitisset, nunc Domina Kethelsen tabulatum, ea ipsa pedeplana parvae domûs ad Pratum Molinarium sitae inhabitabat sôla. Nam molestiae quae ei efficiebantur corpusculo misero atque debili cum annis labentibus exauctae essent, Sesemia Weichbrodt, quâ erat christianâ clementiâ atque promptitudine, putavit se a Deo mox vocatum iri. Itaque, quia iam compluribus ex annis festum Natalis Domini habuit sibi esse ultimum, sollemnitati, quam agebat in conclavibus suis parvis horribili cum immoderatione calefactis, studebat tantulum splendoris dare, quantum poterat viribus suis exiguis. Cum non multa emere posset, quotannis donabat novam partem recularum sui modicarum arborique substruebat quibuscumque carere poterat: figurellas figmentave ineptula, chartarum pressoria, pulvillos acuarios, vasa florum vitrea, fragmenta bibliothecae suae, libros vetustos lepidâ magnitudine lepidisque involucris instructos, »Diarium secretum observatoris sui ipsius«, Hebelii carmina Alemannica, parabolas Krummacheri... Hanno iam possedit editionem »Cogitationum Blasii Pascalii« ab illâ donatam, quae pusillior erat quam ut legi posset sine megaloscopio.

»Potio episcopalis« praebebatur copiis inexauribilibus et placentiae fuscae zingibere conditae, quas Sesemia conficiebat, erant omnium sapidissimae. At quandocumque Dominula Weichbrodt festum Natalicium sibi ultimum celebrabat animo maximê pio – numquam hic vesper transibat, nisi accidebat aliqua res improvisa, aliquod incommodulum aliquave calamitas, quâ convivis risus moveretur etiamque exaugeretur hospitae mutus fervor sollemnitatis agenda. Sic iam factum erat, ut cantharo potionis episcopalis pleno inverso omnia inundarentur liquore rubro, dulci, aromatico... Aut arbor ornata deciderat de pedibus suis ligneis ipso eo momento temporis, quo sollemniter intratum est conclave donationis... Hannoni obdormiscenti apparuit casus anni proximi praeteriti infelix: Qui factus erat brevi ante donationem. Theresa Weichbrodt capitulum Natalis Domini tantâ cum vehementiâ recitaverat, ut omnes litterae vocales sedes suas inter se permutarent, et nunc a convivis suis recessit ad ianuam, ut ibi

haberet allocutiunculam. Muliercula in limine stabat, gibbosa, pusilla, manibus anilibus ante pectus puellare complicatis; mitra eius instructa erat viridibus taeniis sericeis, quae dependebant de umeris fragilibus, super caput aniculae in macrocollo pellucido ramis abietinis circumsaepito lucebant verba: »Gloria in excelsis Deo!« Sesemia autem locuta est de Dei clementiâ, commemoravit hoc festum natalicium esse sibi ultimum, conclusit eo, quod omnes verbis apostoli adhortata est, ut gauderent, et hac monitione corpusculum eius tam vehementer commotum est, ut tremeret a vertice usque ad summos pedum digitos. »Gaudete!« dixit caput seponens vehementerque quassans et: »Iterumque vobis dico: Gaudete!« At hôt momento temporis supra eam cum tonitru, crepitu, sibilatu, stridore totum macrocollon est inflammatum, ut Dominula Weichbrodt parvo terroris sono edito saltuque facto, qui fuit alacritatis improvisae et graphicae, evitaret imbrem scintillarum in se irruentem ...

Hanno hunc saltum a puellâ anili factum recordatus animo perquam commoto, irritato, inquietê exhilarato per complures minutas furtim atque submissê in pulvinum ridebat.

## **CAPITULUM NATALICIUM BUDDENBROOKIORUM**

**QUOD SCRIPSIT**

**THOMAS MANN**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

## VOCABULA RARIORA ET RECENTIORA

**abiētīnus**, a-, -um *Tannen*//

**\*acchordātiō**, -ōnis f. *Stimmung (eines Instrumentes)*

**\*acchordō**, -āre *stimmen (ein Instrument)*

angl. to tune; fr. accorder; hisp. afinar; ital. accordare; lat. **\*acchordāre**, cfr Dauzat s.v. accorder.

**\*accordum**, -ī n. *Akkord*

**additāmentum**, -ī n. *Beigabe*

**ad tempus** *vorläufig*

**adventuālis**, -e *Advent*//

**+adventurōsus**, -a, -um *abenteuerlich, abenteuerreich*

**albēdō**, -inis f. *Sukkade*

<https://de.wikipedia.org/wiki/Zitronat> „Zitronat oder Citronat (auch: **Sukkade** bzw. Succade, von lateinisch *succidus* ‚saftig‘) wird durch Kandieren der Schalen der Zitronatzitrone (*Citrus medica*) hergestellt und besteht im Wesentlichen aus deren Mesokarp (**Albedo**).“

**allocūtiuncula**, -ae f. *kleine Ansprache*

**amāriter** (*adv.*) *bitterlich*

**amygdalum**, -i n. *Mandel*

**anacula**, -ae f. *altes Fräulein*

**anīlis**, -e *alt, ältlich (Frau)*

**ānsa pannī rāsī** *Atlasschleife*

**anthēra**, -ae f. *Staubfaden (Blüte)*

**ānulus gemmātus** *Brillantring*

LIV.1,11,8 gemmatos...anulos

**apparātus praesēpiālis** f. *Krippenaufbau, Krippenarrangement*

cfr KILIÁN ISTVÁN: Karácsony és vizkereszt néhány jezsuita templomban a 18. században (i.e. Natale Domini et Epiphania <quales fuerint> in nonnullis ecclesiis Iesuiticis saeculi duodevicesimi), in: Az áhítat nem hivatalos alkalmi és formái az 1800 előtti Magyarországon, Piliscsaba (Hungaria) 2013. p.125, n.10): „1724. december 23. Sabbatho. Media 4-ta Litaniae in nostro Templo. Paratum de potiori praesepe in magna ara, quae ... ornata erat tabernaculo, ac reliquis altaris parumentis (!), quibus intereat, tegebatur **apparatus praesepialis**, uti stabulum, Angelus, aedificia, milites, saxae picturae, donec debito tempore

praesepe totum monstrari, et aperiri solet. (Diarium SJ Neosoliensis, I, 190 – 1724. december 24. Dominica 4. Adventus. Absolutis his divinis plene paratum est praesepe appositione statuarum, personarum, ac ovicularum, et ornatum est reliquum altare, ut potuit pro festis. (Uo., 191.) – 1725. január 5. Feria 6-ta. In praesepi expositi sunt Reges. (Uo., 193)...“

**aqua rosārum** *Rosenwasser*

**aqua saccharāta** *Zuckerwasser*

**aquōsē caerulēscēns**, -ntis *zart bläulich*

usque ad infimos locos oculorum colore aquosē caerulescenti obumbratos. orig. *bis auf die zart bläuliche Umschattung seiner Augen*

cfr Franz Willibald Schmidt: Botanische Beobachtungen, in: Johann Mayer, Sammlung physikalischer Aufsätze, besonders die Böhmisches Naturgeschichte betreffend, Dreden 1791, cap.XIII. p.198 tubus brevissimus albidus aut *aquose caerulescens*.

**arbor nātālicia** *Weihnachtsbaum*

**ārēre**, -eō, -uī, - *trocken sein*

Domina Permaneder arente fauce edidit screatum suum, quem suppressere non potuit. – orig. *Frau Permaneder ließ ihr trocknes Räuspern vernehmen, das ununterdrückbar war.*

HOR.epod. 14,3sq. Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos/ **arente fauce** traxerim...

PLAUT. Asinaria 40...age, age, usque exscrea. – etiamne? Age usque ex penitis **faucibus**.

cfr Hermann Boerhaave, Praelectiones academicae de morbis nervorum, Venetiis 1762, tom.1, p.61: “...si noverunt subito respirare vel **screatum edere**...”

**assūgō**, -ere *an etw. saugen*

cfr linguam suam assugebat orig. *sog an seiner Zunge*

**atta**, -ae m. *Papa*

**aulaeum**, -ī n. *Vorhang (Theater)*

**aureo-fuscus**, -a, -um *goldbraun*

**beātītūdō flēbilis** *wehmütige Glückseligkeit*

**bracchium gasicum** *Gasarm*

**bracteola crepula** *knisterndes Flittergold*

tapete necnon vestimenta sua bracteolis crepulis conspersa. – orig.

**calendārium foliātum** *Abreißkalender*

**canticum chorāle**, -is n. *Choral*

cfr Franz Delitzsch, Commentar über den Psalter: Des Psalters viertes Buch Ps.XC-CVI. 2.Theil. Leipzig 1860, p.403, n.3): „Aber unter den nach dem Vatikan entführten Heidelberger Codices ist einer, welcher im Serapeum 1850 S.197 Nr.50 folgendermaassen beschrieben wird: ‚Tertia pars Scripturae (also die Cherubim mit den Psalmen) Toni additi sunt super dictiones, tanquam ad Canticum chorale, ut in Graecis quibusdam...“.



**cantus vōcis assae** *a-cappella-Gesang*

cfr nunc, cum aer imbuebatur cantu, hōc cantu vocis assae purissimo - orig. *jetzt, da der Gesang, dieser glockenreine a-cappella-Gesang die Luft erfüllte,..* cfr OLD 191 s.v. assus 3: "(mus.) assa uoce, with unaccompanied voice, without an accompaniment. ...ut cantarent carmina...et assa uoce et cum tibicine VAR.in Non.p.77M.; ..."

**caperrō**, -āre, -āvī, -ātum *sich runzeln*

frons alci caperrat *i.q. alqs frontem astringit/ contrahit, vultum adducit.*

Eidem seni frons severitudine caperravit inter alterum cenae ferculum animadvertenti mentionem incidere de familiae membris absentibus... – orig. *Er runzelte finster die Stirn, als beim zweiten Gange sich das Gespräch den abwesenden Familienmitgliedern zuwandte...*

PLAUT.Epid.609 Quid illuc est quod illi caperrat frons severitudine?

**cella monitōris** *Souffleurkasten*

cfr Ge.II,994 s.v. monitor: "der Souffleur der Schauspieler CIL 3,33423 ". cfr He.511 s.v. Souffleurkasten: "cella suggestoris, cella monitoris".

**cēnātiō**, -ōnis f. *Eßsaal*

cfr Ge.I,1067, s.v. cenatio: "das Speisezimmer, der Speisesaal, SEN.ep.90,9; PLIN.nat.36,60; PLIN.ep.2,17,20. e.al. "

**charta emporētica** *Packpapier*

PLIN.nat.13,76

**chartārum pressōrium** *Briefbeschwerer*

Lexicon Recentis Latinitatis s.v. (Chiesa).

**\*chartō**, -ōnis m. *Karton***chorālis**, -e *Chor//*

pueri chorales orig. *die Chorknaben*

**cibus praecipuus** *Hauptgericht***cilium**, -iī n. *Wimper*

PLIN.nat.11,227

**circulus mēnsālis** *Tafelrunde*

»Clārē iūbila, Hierosolyma !« *Jauchze laut, Jerusalem*

**cochlear**, -āris n. *Löffel***coetūs conventiculum** *Klub*

»Cōgitiōnēs Blasii Pascalii« *Pensées de Blaise Pascal*

**collāre nauticum** *Matrosenkragen***comoediola**, -ae f. *burleskes Spiel*

cfr Henno. Comoediola rustico-ludicra, a Iohanne Capnione Phorcense, U.J.D. ante centum annos scripta, et nunc iterum publicata. Magdaeburgi, anno 1614. -

**conclāve dōnātiōnis** *Bescherungszimmer*

**conclāve topiārium** *Landschaftszimmer*

**conclāve vestiārium** *Ankleidekabinett*

**concorditer** (*adv.*) *einträchtig*

ENN.Ann.106 aeternum seritote diem...**concorditer** ambo. PLAUT.Curc.264 illi inter se congruont **concorditer**. CIC.Rab.Perd.14 quicum **concordissime** vixerat.

**congelāscō**, -ere *gefrieren*

GELLIUS 17,8,8 quoniam puer nunc admonuit solere oleum congelascere, consideremus, cur oleum quidem saepe et facile, sed vina rarerer congelascant.

**consuētūdō commerciālis** *Usance*

**+cōsulissa**, -ae f. *Konsulin*

cfr Sancti Theodori Studitae Epistolae, aliquaque scripta dogmatica. Graece et Latine: pleraque SIRMONDO interprete. Venetiis 1728, p.590: "Sit autem vobis secundum fidem vestram merces & misericordia a Domino, cum domina **Consulissa**, nobilique sobole vestra :..."

cfr Latinae Linguae Grammatica tripartita: Pro trifaria studentium Classe triennali studio absolvenda, ...Pars II. Basileae 1755, p.82: "...**consulissa**, eine Burgermeisterinn, von consu. ...comitissa, eine Gräfinn, von comes... Ducissa, eine Herzoginn, von Dux."

**corpusculum**, -ī n. *kleiner Körper*

**crāmum amygdalinum** *Mandelcreme*

**crapulae gravēdō** *Kater, Katzenjammer*

**crepāx**, -ācis *knusprig*

**crispō**, -āre *kräuseln*.

**crocitātiō**, -ōnis f. *Krächzen*

**crustulum spongium** *Biskuit*

**crystallinus**, -a, -um *Kristall//, kristallin*

**cursus monētālis** *Währungskurs*

**cyprīnus**, -ī m. *Karpfen*

»**Diārium sēcrētum observātōris suī ipsius**« *Geheimes Tagebuch eines Beobachters seiner selbst*

**disserēnāscō**, -ere *sich aufhellen, sich aufheitern*

**domesticī pauperēs** *die Hausarmen*

**dulciolum**, -ī n. *Konfekt*

**ēbrietās**, -ātis f. *Rausch, Trunkenheit*

**ērādicō**, -āre *entwurzelt*

**exherēdō**, -āre *enterben*

**exhorrēscō**, -ere *erscheuern*

**exsecrābilis**, -e *Fluch//*

»**Exultā, jubilā, filia Siōn !**« *Tochter Zion, freue dich, jauchze laut, Jerusalem!*

cfr VULGATA Sacharia 9 Exsulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ.

**farsūra**, -ae f. *Füllung*

**faucēs**, -ium f.pl. *Korridor*

**febricitō**, -āre *Fieber haben*

**fenestra mercātōria** *Schaufenster*

**fēstum nātālicium** *Weihnachtsfest*

**figmenta ineptula** *Nippsachen*

**fila argentea** *Lametta*

**fila aurea** n.pl. *Flittergold*

**fimbria**, -ae f. *Franse, Quaste*

**Folia Palmāria Gerōkiū** *Geroks Palmblätter*

**follis pedālicius** m. *Tretbalg (Harmonium)*

**Fovea Piscātōria** f. *Fischergrube*

**fugātīm** (*adv.*) orig. *fugenartig*

cfr Des H. Römischen Reichs Teutscher Nation Reichstags Theatrum, wie selbiges unter Keyser Friedrichs V. allerhöchster Regierung von Anno 1440 bis 1493 gestanden...Jena 1713, cap.VIII. p.597: „...unde secuta est, qua nunc fruimur, & quam tantopere commendamus Ecclesiasticae Societatis unitas: quamvis ejus rei gloriam plerique in alios derivent, quorum opera ea fuit, quae solet illorum esse, qui **fugatim** ab aliis intercipiunt.” - cfr David Hess, Die Badenfahrt, Zürich 1818, p.98: „Da gibt es denn beym Eintritte viele blumenreiche Worte über die Ehre, die man sich gegenseitig erweise, und dieses Thema wird **fugatim** durchgeführt, bis man sich auf die Stühle hincomplimentiert hat...” – cfr Friedrich Kluge,

Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache, 21.Auflage, Berlin/New York 1975, p.223 s.v. Fuge<sup>2</sup> f. (Tonstück) „Aus lat. fuga ‚Flucht‘ geht **mlat. fuga** ‚Wechselgesang‘ hervor, ‚quia vox vocem fugat‘...“

**furcifer**, -ī m. *Kerl*

**fuscus**, -a, -um *dumpf*

**\*gallopāvō**, -ōnis m. *Puter*

**gasicus**, -a, -um *Gas//*

**\*gelāmen vīnōsum** n. *Weingelee*

**gena**, -ae f. *Wange*

**gibbōsus**, -a, -um *bucklig*

**glaciēs socolātea** f. *Schokoladeneis*

**glūtinōsus**, -a, -um *klebrig*

**\*gothicus**, -a, -um *gothisch (architect.)*

**gradior**, gressus sum *schreiten*

**grānulōsus**, -a, -um *körnig*

**graphicus**, -a, -um *malerisch, pittoresk*

**gýrus**, -ī m. *Kreis*

**άλίς** *orig. Assez!*

**Hannō**, -ōnis m. *Hanno*

**harmōnium**, -iī n. *Harmonium*  
He.260, s.v. [1840, A.F. Debain; Ba.63,75]

**hōrologium lūsōrium** n. *Spieluhr*

**hospita**, -ae f. *Wirtin, Gastgeberin*

**hyalus**, -ī m. *Trinkglas*

**+iacca**, -ae f. *Jacke*

**īconicus**, -a, -um *naturgetreu*

cfr Ge.lat.-dt. II, 21: „... (εἰκονικός), nach dem Leben dargestellt = mit Porträtähnlichkeit u. in Lebensgröße, statua, Plin.34,16: simulacrum aureum, Suet.Cal.22,3: duces, Plin.35,57.“

**\*īdyllīcus**, -a, -um *idyllisch*

cfr Immanuel Johann Gerhard Scheller, Dt.-lat.Wb., 3.ed., Leipzig 1805, col.1566 s.v. idyllisch: idyllischer Dichter: poeta **īdyllīcus**.

**immūsicus**, -a, -um *unmusikalisch*

TERT. Apol.1

**\*incommodulum**, -i n. *Malheur*

Martin Luther: In Genesin enarrationes, tom.II, Norimbergae 1552, p.154: "Non vult ullam crucem, ullum incommodulum, ullam festucam mali sentire, cum ipse plenus sit trabibus, et praecipue ecclesiae incommodus et gravis".

**incomprehēnsibilis**, -e *unfassbar, unbegreiflich*

COLUM.10, praef.4; e.m.al.

**inconveniēns**, -ntis *ungehörig*

**indecentia**, -ae f. *Taktlosigkeit*

**ineffābiliter** (*adv.*) *unsäglich, unaussprechlich*

**\*inexhaurībilis**, -e *unerschöpflich*

**infarciō**, -īre (*hinein*)stopfen

**ingurgitō**, -āre *hineinschütten, hineinstopfen*

**intercessiō**, -ōnis f. *Einspruch, Widerspruch*

**interrogātiō testium** *Zeugenbefragung*

**Iohannes** *Johann, Hanno*

**Iohannulus** *Hannochen*

**Iohannulus Thunderstorm** *Johnny Thunderstorm*

**irrēgulārīter** (*adv.*) *unregelmäßig*

**iuvenca**, -ae f. *Jugendliche, junge Frau*

**lacca**, -ae f. *Lack*

**lascīviō**, -īre *Allotria treiben, übermütig sein*

**lucuns**, lucuntis f. *Waffel*

**lutulentus**, -a, -um *schmutzig, dreckig*

**lychnūchus pēnsilis** m. *Kronleuchter*

**macilentus**, -a, -um *hager*

**macrocollon pellucidum** *Transparent*

**māla**, -ae f. *Kinnbacke, Wange*

**mantīsa**, -ae f. *Zutat*

cfr OLD 1075, s.v.: "...1 (perh.) Sauce (or makeweight). Mantisia opsonia uincit LUCIL.1208; mantisa additamentum dicitur lingua Tusco, quod ponderi additur, sed deterius et quod sine ullo usu est PAUL.Fest.p.134M."

**+mārtipānis**, -is m. *Marzipan*

**\*Megalopolītānus**, -a, -um *mecklenburgisch*  
Orbis Latinus p.204.

**\*megaloscopium**, -ī n. *Lupe, Vergrößerungsglas*  
He.356, s.v. Lupe.

**\*melodrāma**, -atis n. *Oper*

**mercātus nātālicius** m. *Weihnachtsmarkt*

**mītra**, -ae f. *Haube, Mütze*

**modulor**, -ātus sum *spielen (Instrument)*

**nātālicius**, -a, -um *weihnachtlich*

**Nātāle Dominī** *Weihnachten*

**natrium bicarbōnicum** n. *kohlensaures Natron*

**nauseābundus**, -a, -um *seekrank, an Magenverstimmung leidend*

**negōtiātiō**, -ōnis f. *Firma*

**nepōtismus**, -ī m. *Vetternwirtschaft*

**neurospaston**, -ī n. *Hampelmann; Marionette*

**\*nicolum**, -ī n. *Nickel*

**nivātus**, -a, -um *schneebedeckt*

»O **abiēs**« *Oh Tannenbaum.*

»O **rabies**«

**obumbrō**, -āre *umschatten*

**oeconoma**, -ae f. *Mamsell, Wirtschaftlerin, Haushälterin*

**oleāginus**, -a, -um *Öl//*

**opiparē** (*adv.*) *reichlich*

**opiparus**, -a, -um *reichlich*

**organum versātile** n. *Drehorgel*

**ossuōsus**, -a, -um *knochig*

**paedeutērium**, -īī n. *Pensionat, Erziehungsheim, Schulheim*

**pāniculus lacteus** m. *Milchbrötchen*

**pannus rāsus** m. *Atlas(seide)*

**parārius**, -īī m. *Makler*

**patina**, -ae f. animus iam dudum est in patinis [TER.Eun.814sq.]

**pedeplāna**, -ōrum n.pl. *Erdgeschoß*

**pedisequa**, -ae f. *Folgmädchen*

**pentapōma Suētiānum** n. *Schwedenpunsch*

cfr Baronis Mynchusani mirabilia itinera et pericula marina terrestriaque, ab Erico Kästner denuo narrata, a Valthero Trier undecim picturis multisque lineamentis illustrata, a Nicolao Groß in linguam Latinam conversa. Bruxellis Belgarum anno 2001, p.58 \*pentapōma, pentapōmatis n. ... Punsch.... op.mem. p.59: \*pentapōma Suētiānum..."

**perspicillum**, -ī n. *Brille*

**phŷ!** *Pfui!*

cfr OLD 1376, s.v.: "...An exclamation of disgust.

Praeceptorum plenust istorum ille. Phy! Domi habuit unde disceret. TER.Ad.412."

**placenta fusca** f. *Brauner Kuchen*

**placenta prūnōrum anglica** f. *Englischer Plumcake*

**plaga caelī** *Landschaft*

**plūma nivālis** f. *Schneeflocke*

**pogostēmōn**, -ōnis m. *Patschuli*

**pōma cocta** *Kompott*

**pōma terrestria assāta** n.pl. *Bratkartoffeln*

**porcellānum**, -ī n. *Porzellan*

**porticus**, -ūs f. *Säulenhalle*

**pōtiō episcopālis** f. *Bischof (Getränk)*

**praedominor**, -ārī *vorherrschen*

**praefectus mūsicus** *Kapellmeister*

**praeterfluō**, -ere: *verba sino praeterfluere überhören, sich berieseln lassen*

**Pratum Molīnārium** *Mühlenbrink*

**prisma**, -atis n. *Prisma*

**procoetōn**, -ōnis m. *Vorzimmer*

**prōmptitūdō**, -inis f. *Bereitschaft, Bereitwilligkeit*

**proneptis**, -is f. *Urenkelin*  
PERS.6,53; SUET.Galba 3,4.

**ptisana \*fāgopŷrī** *Buchweizengrütze*

**puella cūnāria** *Kindermädchen*

**puella pedisequa** *Folgmädchen*

**puellāris**, -e *Mädchen//, mädchenhaft*

**puls**, pultis f. *Brei*

**pulvillus acuārius** m. *Nadelkissen*

**pulvīnus pedālis** m. *Fußkissen*

**rēcula**, -ae f. *Sächelchen, kleines Vermögen, Habseligkeit*

**reditus**, -ūs m. *Rückkehr; Rente*

**refocillō**, -āre *wiederbeleben*

**\*rheumatismus**, -ī m. *Rheumatismus*

**sacculus rēticulāris** m. *Arbeitsbeutel*

**Sagana Endoriēnsis** *Hexe von Endor*

**sāvillum gelātum** n. *Eisbaiser*

**scabillum**, -ī n. *Schemel*



**+scellīnus**, -ī m. *Schilling*

**scidula optātōrum** *Wunschzettel*

**screātus**, -ūs m. *Räuspern*

Domina Permaneder arente fauce edidit screatum suum, quem suppressere non potuit. – orig. *Frau Permaneder ließ ihr trocknes Räuspern vernehmen, das ununterdrückbar war.*

cfr OLD 1708, s.v. screatus, -us m. "...The action of clearing the throat. Inversa uerba...gemitus screatus tussis risus abstine TER.Hau.373." – op.mem. 1709, s.v. screo: "...To clear the throat of phlegm, hawk. Liber, tibi qui screanti, siccae, semisomnae adfert potionem. PL.Cur.113." op.mem., 655, s.v. exscreo: "...age, age, usque exscrea. – etiamne? Age usque ex penitis faucibus. PL.As.40."- cfr Hermann Boerhaave, Praelectiones academicae de morbis nervorum, Venetiis 1762, tom.1, p.61: "...si noverunt subito respirare vel **screātum ēdere...**"

**sectūra aurea** *Goldschnitt; Goldener Schnitt (1. pars libri; 2. ratio optica, geometrica)*

\***sēmiapertus**, -a, -um *halboffen, halbgeöffnet*

\***sēmiobscūrus**, -a, -um *halbdunkel*

**sēpōnō**, -ere, -posuī, -positum *auf die Seite legen*

**Servus Rupertus** *Knecht Ruprecht*

\***Sesemia**, -ae f. *Sesemi*

**sessibulum versātile** n. *Drehsessel*

**sinuōsus**, -a, -um *bauschig*

**sīparium**, -iī n. *Kulisse*

**sociālis distantia** f. *sozialer Abstand*

**speculārium**, -iī n. *Guckloch*

cfr Friedrich Diez /Auguste Scheler: Etymologisches Wörterbuch der romanischen Sprachen, 5.ed., 1887, p.906, n. 8931 "specularium n. (*speculum*), Guckloch;"

**strīdulus**, -a, -um *knisternd*

**subbibō**, -ere *nippen*

**subium**, -iī n. *Schnurrbart*

[Auctor de idiomatibus generum 578,57 K.]

**subsannō**, -āre, -āvī, -ātum *verspotten*

**substrāmen plantārum foliātārum** *Blattpflanzenuntersatz*

**subsūmentum**, -ī n. *Futter (Textilien)*

**superabundantia**, -ae f. *Überfluss*

**supernātūrāliter** (adv.) *Überfluss*

**symmetricē** (adv.) *symmetrisch*

**tabula dōnātica** f. *Gabentisch*

**tabulātum**, -ī n. *Stockwerk*

**tapēte parietāle** n. *Tapete*

**tempestuōsus**, -a, -um *stürmisch*

**tenellus**, -a, -um *zart*

**tenerē** (adv.) *schwach, zart*

**\*thea**, -ae f. *Tee*

**theātrum pūpārum** *Puppentheater*

**theātrum varietātum vulgārissimum** *Tingeltangel*

**trunculus sigarellī** *Zigarettenstummel*

**typicus**, -a, -um *typisch*

**urceolus**, -ī m. *Krüglein*

**ūva passa** f. *Rosine*

**vacillātiō cursūs monetālis** *Kursschwankungen (Börse)*

**vās flōrum vitreum** (*Blumen*)vase

**vastē** (adv.)

**\*vellutīnus**, -a, -um *samten*

**Venceslāus**, -ī m. *Wenzel*

**+veneripeta**, -ae m. *Suitier*

»**Venī, Iēsū Domine...**« *Komm, Herr Jesus...*

**Via Lāta** f. *Breite Straße*

**Via Mengiāna** f. *Mengstraße*

**vīnum Rhēnānum** n. *Rheinwein*

**virga**, -ae f. *Streifen*

**volubiliter** (adv.) *geläufig, gewandt, fließend (sprechen)*

**zingiber**, -eris n. *Ingwer.*

**INDICEM BUDDENBROOKIANUM CONFECIT**

**NICOLAUS GROSS**

**LEO LATINUS**



**THOMAS MANN (1875-1955)**

**QUALIS FUIT AETATE 25 ANNORUM  
QUA BUDDENBROOKIOS PERFECIT**

## ECHUS VOCES

### **Radulfus alias Raul Lavalle Bonaeropolitanus**

Nicolae, vir doctissime

Gratias ob tuas epistulas, tam doctrina plenas. Tria tibi dico

1. Maioris momenti rem: Felix Nativitas necnon bonus AD 2017 tibi tuisque sint!
2. Etsi longe a centro mundi habito, sententia tua de Donaldto atque Ilaria mihi placet.
3. Adiungo humillimus nuntius, quem in situ meo interretiali omnes possunt legere.

Valeas semper, gloria perennis Latinitatis.

Tuus Radulfus (ab Urbe Bonaerensi)

### **d.08. m.Dec.2016 Iosephus Faber alias József Kovács Hungarus**

Optime Domine Gross,

animo valde contento observantiáque magná legi verba Jasinnae et in lingua Latina.

Utinam grex Latine loquentium et intellegendium prope numerum Theodisce intellegendium proveniat, ut verba illa secundum dictum quoddam obtemperandum, quó monemur et alteram partem audituros esse, longe lateque cognosci possint.

Vale quam optime Iosephus Faber

### **d.03. m.Dec. a.2016 Marco Cristini Italo Brixiano**

Care Marce,

habeas me excusatum, quod huic Epistulae Leoninae 121 (quam subiunxi) nondum inserui symbolam tuam Nivariam. Inseram EL proximae. Patienter, quaeso, exspectes. Scribas mihi, quaeso, quid (verbis Jasinnae perlectis) tibi videatur de Hilaria Clintonia. Vale semper, sedulissime defensor Latinitatis vivae.

Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

Am 06.12.2016 um 21:14 schrieb Marco Cristini:

Marcus Nicolao s.p.d.

Care Nicolae, gratias tibi maximas ago pro epistula tua electronica proque nova Epistula Leonina, quam libenter legi. Verba nova a te excogitata more solito scitu memoratuque sunt digna, exempli gratia phrontisterium pro Anglica voce thinktank mihi valde placuit.

Victoriam Donaldi Trump clademque Hilariae Clinton permulti et in America et in Italia mirantur, cum arbitrati sint virum illum praedivitem praesidem Civitatum Foederatarum numquam fieri posse. Iidem sunt, qui putabant Angliam in Unione Europaea sine dubio mansuram esse vel Matthaeum Renzi, suffragiis pro constitutione reformanda permultis acceptis, munus suum servaturum esse. Hodie tamen populi cuncti Hesperii fastidio quodam adversus politicos afficiuntur, qua de causa, si possunt, suffragia contra eos dant. Commentarii diurni televisificique hoc longo

tempore haud intellexerunt et die quoque hodierno asperam veritatem pone verba dulcia sed inania (vel pone silentium) celant. Insuper pauci quaerunt, quae sint causae fastidii huius tam lati tamque vehementis. Nam si politici nostri semper recte probeque se gessissent, cur cives in comitiis eos ubique puniunt?

Responsa offerre difficile et longum est, opus hoc historici futuri perficient, qui, quantum fieri potest, sine ira et studio res aevo nostro gestas iudicabunt. Symbola Jasinnae coniecturas nonnullas praebet, quas scitu dignas arbitror, quamquam cum ea non semper consentio. Altera tamen pars audienda est, cum societas hodierna eiusque discrimina intellegi non possunt, si quis opiniones tantum, quibus favet, audit. Quoad ad argumenta Jasinnae attinet, sanctiones contra Russiam, quae Chersonesum Tauricam Ucrainiaeque partem dolose invasit, non sine causa, ut opinor, Hesperiae nationes statuerunt. Nam vi regiones rei publicae sui iuris occupare nec fas nec ius est. Praeses Obama et Unio Europaea nequiverunt Vladimirus Putin sistere, itaque, ne armis cum Russis pugnarent, quod amens est, pecunia dimicaverunt. Utrum utile sit necne satis haud scio, sed hoc primum est, quod populi cuncti intellegant bellum in civitates insontes numquam sine poena esse.

De bello in Syria Libyaeque difficile est aliquid scribere: felix qui potuit rerum cognoscere causas! Assad, ut Gaddafius, tyrannus est criminum tam multorum obnoxius et Occidentis civitatibus tam invisus, ut Americani libenter armis denariisque rebellibus faverunt. Profecto cupiditas quoque petrolei (quid non mortalia pectora cogis, auri nigri sacra fames!) et potestas Francogallorum defendenda causae impetus in Libyam fuerunt, quae nunc magis magisque civilibus discordiis lacerata videtur. Fortasse Hilaria Clinton praesidi Obamae nimis celeriter suasit, ut impetum contra Gaddafium faceret, et regimen postea apparandum non curavit, sed non fuit sola, quae illo tempore Bellum Libycum fovit.

Cum Georgio Friedman consentio, cum scribit Civitates Foederatas studium maximum ponere in oceanis classe ingenti custodiendis. Ut Angliae saeculo XIX et saeculo XX ineunte, et Americae sola salus est marium imperium. Insuper foedus inter nationes Europaeas Russiamque periculosum esset Americanis, ut periculosum fuisset Britannis. Anglia enim contra Napoleonem, Guillelmum II et Adolphum Hitler pugnavit, ne quis Europam integram in eius dicionem redigeret. Eodem modo America studuit, ne Russia civitatibus Europaeis et praesertim Germania potiretur. Hoc fecit mea sententia et amore libertatis defendendae et propria securitate et emolumentis oeconomicis. Societas autem cum Russia Europaeis quoque incommoda esset, nam amicitia talis oneroso pretio servatur.

Odium Hilariae adversus Vladimirus Putin nemo est qui neget, sed non puto eam bellum contra Russos paraturam esse, hoc summa insania esset. Non autem nego eam cum ministris Russis difficulter collocuturam fuisse, si electa esset. Quid nunc Donaldus Trump facturum sit, mox videbimus, Divinae fisi Providentiae. De pecunia ab Hilaria maritoque accepta cum Jasinna consentio, candidata permultis civibus Dollarorum avida et nimis argentariis benevola esse videbatur, ideo candidatum alterum maluerunt, qui profecto praedives, palam autem, non clam, erat. Et mala valetudo et mariti adulteria, ut scribit Jasinna, minime petitioni Hilariae subsidio fuerunt, sed in symbola eius deest ea res, quae mea sententia maxima cladis causa fuit, superbia. Superbia enim, quae decursu saeculorum et reges et beatas perdidit urbes, nunc morbus est perniciosissimus politicorum, qui quaeve ubique se multo sapientiores quam alios cives esse putant, qui quaeve tamen eorum curas mente

comprehendere non iam valent. Antiqui merito Socratem laudabant, qui sciebat se nescire. Nunc politici nostri nesciunt se nescire, immo arbitrantur se omnia semper optime cognoscere et qua de causa stulte in animo cogitant concives eorum earumve minime interrogandos esse priusquam consilia caperent. Civium autem opiniones spernere maxima amentia est in democratia. Imperator enim, rex tyrannusve vocem populi neglegere potest, candidatus vel candidata in re publica democratica minime. Civium contemptio summum est peccatum, ideo mea opinione cum Hilaria dixit Donaldi Trump fautores gregem miseratione dignorum esse, eo puncto temporis superata est, non ab alio petitore, sed a semet ipsa.

Certamen inter Hilariam Clinton et Donaldum Trump procul dubio inter huius anni res gestas maioris momenti est. Qua de causa in animo habeo aliquid de petitorum vita consiliisque scribere. Si vis, hebdomadis proximis futuris brevem symbolam tibi mittam.

Optime vale

Marcus Cristini

-----Messaggio originale----- From: SPQR  
Sent: Saturday, December 3, 2016 6:46 PM  
To: Marcus Cristini  
Subject: Epistula Leonina 121

Nicolaus Marco sal.pl.dic.  
s.v.b.e.e.v.  
Nicolaus Marco s.

Summas gratias, care Marce, quod verba Jasinnae tam prolixè commentatus es. De singulis universis loco apto tibi respondebo. Gratissimum mihi est te velle scribere de Donaldò et Hilaria. Visne etiam Clintonianorum lutulentissima omnium scandala patefacere, quae appellantur "Lolita-Express" et "Pizzagate"? Equidem usque nunc non ausus sum eadem tangere, quae innotuerunt epistoliis electronicis Iohannis Podestae a Iuliano Assange publicatis. O tempora o mores! Deo gratias agamus, quod satanistria non facta est praeses nationis omnium potentissimae.

Felicissime vale et perge mihi favere. Medullitus te salutatur Leo Latinus.

Care Nicolae,

Tibi exopto laetiferum festum Christi Natalis atque felicem pacificumque novum annum!

Optime vale

Marcus Cristini

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50



				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM VICESIMAM SECUNDAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**die Dominico, 15. m. Ian., a.2017**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**